

modò sed Græcis, nec Rhetoricis tantum, sed & Philosophicis delectatus est, eò pertinent quod Apollodori Pergameni Philosophi, Filiorum eius Dionysij & Canoris amicitiani quæsiuit, Patremq; grandæuum iuuenis ipse secū, nec vllis locis aut tēporibus vacaret, ab vrbe Romana Apolloniam vsq; perduxit. Ex vtriusq; autem linguæ auctoribus, quos studiosius lectitabat, illa cupidius hauriebat quæ vel præcepto vel exemplo ad eruditionem vitæ morumq; elegantiam pertinent, priuatæ vel publicæ disciplinæ. Hæc & diligenter annotata seruabat, & cum res exigeret, vel amicos, vel totus exercitus, vel Prouinciales aut Urbanos magistratus, illorum interiectione cōmonefacere solebat. In audiendis recitatoribus poëmarum, siue Historiarum, siue alterius generis inuentorum, mitis & patiens fuit. Omnino singulare hoc habuit, quia cum omnium præcipuè principum mos sit, præsentia contēnere, vetusta mirari, iste vnus ætatis suæ fauit ingenijs. Digna quidem sapiētissimi extimulatoris veneratio. Quæ nam enim ætas illustrium apud nos ingeniorum fertilior fuit? Marcum Varronē, Marcum Ciceronem, Crispum Sallustiū, Titum

Titum